DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA;
QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS HARE,

Hibernus.

Proinde ad omnia paratus essem; ac res me moneret. Cic. x. Fam. ep. 11.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES BREWSTER.

MDCCCXXVI.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

Auctore GULIELMO HARE.

CELEBERRIMUS CULLENUS hunc morbum posuit in classe Pyrexiarum et ordine Profluviorum, et sic definiit, "Pyrexia contagiosa, dejectiones frequentes mucosae vel sanguinolentae, retentis plerumque faecibus alvinis, tormina, tenesmus."

Recentiores dubitant num haec definitio sit vera, nam quoad primam ejus partem dubitatur an morbus contagione disseminari possit; et quidam primi nominis scriptores de hac re varie sentiunt.

Aliquot abhinc annis dysenteria grassabatur inter milites cujusdam cohortis quae in urbe Hibernica Cork hybernavit. Chirurgus voluit experiri utrum morbus esset contagiosus, et in hunc finem eâdem fistulâ usus est in administrandis enematibus tam dysentericis quam iis qui eo morbo non laborabant. Nemo autem a fistula infectione correptus est, quamvis illota in plurimorum intestina recta immissa esset. Egomet saepius vidi aegros diversis morbis laborantes, qui in eodem nosocomii cubiculo cum dysentericis cubuere, nec tamen ab iis morbum contraxerunt. Illic autem munditics maxime culta est, quod si aliter res se habuisset, posset contagio oriri a humanis effluviis abunde collectis, et inde vitiatis. Nec tamen audeo dicere dysenteriam nusquam gentium esse contagiosam ; in maximâ enim reverentiâ habeo eorum nomina qui putant eam aliquando a tali causa oriri. Et diffidentia mihi crescit reputando alios esse morbos membranae mucosae, qui, quamvis raro, tamen nonnunquam a contagione originem habent ; quorum exempla sunt Catarrhus et Ophthalmia. Hoc tantum dicere volo, morbum non esse contagiosum, qualis in his regionibus vulgo spectatur, nisi cum febre continua sit conjunctus.

Quod ad eam partem definitionis CULLENI attinet, quae faeces spectat alvinas, de ejus veritate haud constat inter medicinam facientes, saepissime

enim nulla scybala occurrunt in dejectionibus. Inde colligi potest theoriam morbi quae spectat accumulationem faecum tanquam proximam ejus causam minime esse veram. Et si res bene perpendeatur, forsitan apparebit in hoc casu sicut in multis aliis, unum ex effectibus sumptum esse pro causa. Hac vero disputatione missa, liceat mihi dicere quod, retentis faecibus alvinis, earum expulsio multum afferat levaminis, sive spontanea sit, seu arte effecta; et praecipue quod minuat frequentiam dejectionum, tormina et tenesmum.

Morbus aliquando sensim accedit. Vagi dolores abdominis aegrum infestant, plures dies antequam symptomata dysenterica sese exhibeant. Dein vero manifesta fit pyrexia. Rigores, tormina, frequens desidendi cupiditas, et desiderium continuandi conatus, quo alvus dejiciatur, aegrotum exagitant. Sensus quoque adest quasi intestina adhuc plena essent, et aliquid retinerent quod evacuari non posset.

Cutis arida est et calor ejus auctus, aliquando pungens. Dejectiones ab initio sunt liquidae, primo nullam aliam subeuntes mutationem. Plerumque mucosae sunt, et nonnunquam primo etiam die morbi sanguinolentae. Haud raro inter prima symptomata morbi, urget nausea cum abdominis teneritate. Febris est synocha per totum mor-

bum, aliquando est typhoidea fere ab initio. In his casibus typhus fortasse dysenteriae supervenierit; mihi enim haud facile intellectu est quomodo typhus possit esse symptoma dysenteriae nisi eorum opinio admittenda est, qui omnem febrem symptomaticam esse putant: quibus vero haudquaquam assentior.

Aliquando incipit morbus a diarrhoea, quae postea in dysenteriam vertitur. Tunc intestina irritantur et eorum mucus abstergitur, quâ causa morbus oriri videtur. Os foedum est, et de sensu ingrato queritur aeger. Lingua albida est mucoque obducta, aliquando vero per totum fere morbum naturalis est, cujus exemplum vidi in dysenteria chronica. Dejectiones subinde caseum referunt, vel lacti similes sunt; progrediente vero morbo, saniosae, fuscae vel nigrae fiunt, dum foetorem exhalant intolerabilem. Lingua quoque fit scabra, arida, et nigra, vomitus est subinde materiae quae solito redditur per anum. Materia sic rejecta magis minusve biliosa est, raro vero stercorea. Si morbus vetustus sit, pus evacuatur et aliquando etiam vermes intestinales. Aphthae in faucibus apparent, et in linguae marginibus, dum radices dentium crustulâ nigrâ obducuntur. Morte appropinquante varia debilitatis symptomata sese exhibent. Purgatio adest lienterica: pulsus fit valde frequens, parvus et irregularis. Cutem hu-

mectat sudor gelidus, glutinosus, nec generalis, cessat pulsus et vita ipsa cito extinguitur.

Febre miti existente ab initio, vel penitus soluta, morbus in plures hebdomadas vel etiam in menses saepe producitur. In hoc casu saepe lethalis est, dysenteria recrudescente, et inflammatione symptomatica redeunte. Haud raro sponte cessat morbus, frequentia sellarum minutâ, torminibus et tenesmo ultro decedentibus, dum interea dejectiones redeunt naturales. At in aliis diu perstat cum signis mitibus, et tandem in diarrhoeam desinit.

Hic morbus plerumque oritur aestivo vel autumnali tempore, post solis ardores, praesertim si arida simul et calida sit tempestas; ideoque magis grassatur in regionibus calidis quam in frigidis. Corpus nimio calore laxum et irritabile factum mutatione tempestatis subita facile afficitur, et sic perspiratio supprimitur. Primus igitur frigoris effectus est calorici a cute abstractio, et sanguinis a vasis extremis repulsio. Sudore suppresso, si urina majore copia non reddatur (quod in his casibus fere evenire solet) sanguis ad aliquod viscus internum vertitur, et oritur inflammatio, quae solitum suum cursum perficit; aut sanguis in venis internis cumulatur, unde cor tandem ad actionem praeternaturalem excitatur. Ratio autem affectionis viscerum abdominalium ab hac causa ortae, vi-

detur esse eorum debilitas hac anni tempestate. Nam victu insalubri et coelo humido, adeo infirma fiunt, ut vi quavis toti corpori illatâ magis laedantur quam quodvis aliud viscus : praeterea tam arctus est consensus inter cutem et membranam mucosam intestinorum, ut, sudore suppresso et sanguine versus hanc directo, secretiones inde augeantur, et morbosae fiant.

Post mortem examinationes habitae ostendunt morbi sedem esse tunicam intestinorum mucosam. Tria genera mutationum morbidarum a scriptoribus enumerantur. Scilicet, tunica interna est magis vascularis, aut villi sunt abrasi, aut denique membrana mucosa densior fit, et ulcerata. Tunica interna crassescit, si morbus in longum producatur ; et inflammatio sese ostendit in ventriculo, jejuno, et ileo, sed magis est conspicua in intestinis, colo et recto. Primo superficiem tantum ulcera afficiunt, postea vero musculorum fibras nudant intestinalium. Rectum versus intestinum plura sunt ulcera, et magis profunda. Pringle tubercula parva plane memorat quae in majoribus vidit intestinis, et quae similitudinem habebant variolae confluentis. Haec symptomata saepius occurrunt quam olim putabatur. Rarius forsitan observata sunt propter mucum et sanguinem, quae intestina in hoc morbo adeo obducunt, ut haud facile videri possint. Ejusdem esse naturae videntur quibus-

dam cum tuberculis, quae in pulmonibus formantur. Ulcera intestinalia varias exhibent formas. Margines aliquando sunt tumidi, nonnunquam vero, nil tumidiores quam sana intestinorum fabrica. Ulcerum cavitates et margines saepe sunt laceri, quandoque autem laeves, et speciem exhibent quasi scalpello sint excisi, ut BAILLIE expresse memorat. Saepe per magnam tubi intestinalis partem, praecipue in parte ejus inferiore, tunica interna laxa et lacera videtur propter ulcerationis erosionem. Si celeriter procedat ulceratio, tunicas intestini perforat, et faecibus per abdomen diffusis, mors necessario sequitur. Hoc tamen raro accidit, saepius enim pars intestini affecta alteri tractus parti per inflammationem agglutinatur, aut alicui e visceribus contiguis, et sic inter se communicant. Intestinum colon saepe observatum est in contracto statu, et eodem tempore tunicae internae densae et durae videbantur. Aliquando etiam plenae sunt concretionibus lymphae coagulabilis, praecipue si morbus sit vetustus. Si diu commorata sit dysenteria, tunica interna aliquando ita destruitur ut vix distingui possit.

De statu hepatis in hoc morbo varie sentiunt auctores. Dicunt quidam semper esse sanum, alii vero penitus esse morbo implicitum. Utraque forsitan sententia quadantenus vera est, et discrepantiae conciliari possint, supponendo, quod auctor

quisque vere descripsit quae in dissectionibus observaverit. Existimare autem dysenteriam oriri a statu hepatis, eo quod isti morbo quandoque implicitum sit hoc viscus, mihi quidem minime rationi consentaneum videtur. In dissectionibus quibus ego adfui, hepar vix unquam visum est a sana structura mutatum, in paucis vero densius esse repertum est. Cursus sanguinis per istud viscus impeditus, sanguine tinctarum, ut quidam putant, rationem reddit dejectionum. At facilis est explicatio fabricae hepaticae laesae, quin laesio ista credatur esse causa dysenteriae. Nam pauci sunt etiam ex maxime sanis in quibus non existat morbus alicujus partis corporis, saltem in stadio suo primo. Inde si invadat inflammatio magnam tubi partem intestinalis, qui cum reliquis visceribus tam arctum habet consensum, haud mirandum est quod partes prius affectae in actionem morbidam excitantur. Bene notum est eorum hepar esse morbidum qui nimio potui indulgent liquorum inebriantium, et praeterea tales frequenter dysenteria laborare. His rationibus bene perpensis facile apparebit hepatis affectionem accidentalem esse, minime vero spectandam ut causam morbi proximam.

Difficile est aliquando dysenteriam a diarrhoea dignoscere. Saepe enim aut incipit a diarrhoea, aut in eam desinit. Dysenteria autem distingui potest pyrexia et dejectionibus sanguinolentis quae desunt

in diarrhoea. In hac dejectiones constant ex faecibus, in illa vero nil dejicitur praeter mucum. Ab enteritide dignoscenda est subita doloris invasione, dyspnoeâ, absentia dejectionum mucosarum et alvi duritie, quae adsunt in enteritide. Colica differt a dysenteria pyrexiae absentiâ, torminibus circa umbilicum torquentibus, retractione abdominis, alvi astrictione et dolore pressurâ minuto. Spasmi surarum, vomitus materiae biliosae cum dejectionibus ejusdem et apyrexia choleram distinguunt ab hoc nostro morbo. Haemorrhoides internas comitantur dejectiones sanguinolentae et tenesmus quae dysenteriam referunt. Hic vero dolor in parte infima intestini recti situs est, faeces sunt naturales. Praeterea nos adjuvat morbi historia in dijudicando de ejus naturâ.

Recte judicare de eventu dysenteriae diffiicillimum esse putatur. Ex eo quod materies purulenta in dejectionibus conspicitur, inferri non potest adesse ulcerationem. Multo magis verisimile est eam secerni ab irritata superficie intestinorum sine ulla ulceratione. Si dolor et tenesmus remiserint, dum interea anxietas et inquietudo augentur, cum dejectionibus foetidis et nigris, et facie Hippocratica, magno est indicio adesse gangraenam. Si febris lenis sit, et appetitus non prorsus deficiat, si dolores non sint graviores, nec dejectio foetida, si macies, debilitas, et anxietas, ad-

sunt minores, et praecipue si aeger bene dormiat, et cutis ejus sit mollis et humida, haec omnia fausta sunt et exitum felicem denotant.

Causis dysenteriae consideratis et signis, quae post mortem apparent, facile colligi potest, morbum esse situm in membrana intestinorum mucosâ, et in omnibus suis stadiis esse inflammatorium. Sicut in aliis febribus maxima cura opus est per totum ejus cursum. Nam tametsi nullum indicium inflammatorium adsit in principio, potest tamen oriri vel subito vel sensim in morbi progressu. Inflammatio acuta, vel subacuta esse potest, si haec sit, major erit duratio morbi, quam si sit acuta. Si in dysenteria adsit desiderium potus frigidi una cum sensu caloris in abdomine, nausea, flatu, dyspnoea, et pulsu celeri, inflammatio certe expectanda est, quamvis caetera ejus signa desint. Si stadium oppressionis morbo praecedat cum cute frigida, inflammatio erit alicujus visceris abdominalis ab excitatione generali inducta, quae oppressionem sequitur, et gradus ejus ab excitatione pendebit; si haec magna sit, inflammatio erit acuta, sin aliter subacuta. Secundum hanc theoriam inflammatio erit potius effectus quam causa morbi. Phaenomenis morbi bene perspectis, fortasse haec opinio vera esse videbitur. In primo enim stadio dum cutis friget, pro inflammatione atonia adest totius systematis sanguiferi, et indicia inflammatoria tunc

demum manifesta fiunt, quum cor et arteriae post stadium oppressionis excitentur.

Dysenteria e duobus stadiis constare videtur, quare ut bene instituetur curatio medicum oportet animum adhibere stadio quod praesens sit quum primum arcessitur. Dolendum vero est quod, raro in primo stadio invitatur medicus, tunc enim curatio esset facilis et remedia efficacia adhiberi possent.

Consilia medendi in hoc stadio sunt, primo minuere diathesin phlogisticam si adsit, dein subigere inflammationem intestinorum, et denique corrigere secretiones vitiatas. In secundo stadio, constat curatio in reprimendis secretionibus quae ortum habent in laxitate et debilitate intestinorum, vim tonicam dando intestinis et robur addendo aegro.

Si pyrexia sit vehemens aeger temperamenti sanguinei, constitutio ejus sana, pulsus fortis et durus cum dolore abdominis, sanguis statim ab initio detrahendus est. Sic enim diathesis phlogistica optime amovetur et inflammatio solvitur. In plerisque casibus si venarum congestio indicetur ab initio, sanguis emittendus est sine mora, calore prius aequaliter distributo, ope balnei calidi. Nam si congestiones non cito dissipentur causae erunt

excitationis violentae, aut fabrica partis affectae forsitan destruetur. In dysenteria partes duae curam praecipuam medici poscunt; scilicet, membrana mucosa et cutis; vix ullus est casus hujus morbi in quo haec non implicantur. Si ventriculus plenus sit, praesertim si eodem tempore febris sit potius vehemens, una cum cute arida et sicca, emetica medicamenta praecipue adhibenda sunt. His vero non tantum depletur ventriculus, sed etiam sanguis versus cutem dirigitur, adeo ut febris mitior evadat. Parvis dosibus saepe repetitis adhibenda sunt, ut sic per pylorum transeant priusquam vomitus excitetur. Quod si symptomata ventriculi oppressi nimis urgeant, ab iis abstinendum est. In hoc morbo, multum refert evitare quicquid potest ventriculum et intestina irritare. Materies morbida igitur evacuanda est, utrum enim materia acris sit causa dysenteriae, vel ejus effectus, semper eam comitatur. Quidam putant purgantia multum nocere, ut quae irritationis sint causa intestinis, ideoque magnâ curâ opus esse in iis adhibendis. Mihi vero aequum esse inferre videtur, intestina inflammata magis irritatum iri a praesentia materiei acris, quam ab actione purgantium lenium, quae ad eam expellendam necessaria sint. Dicunt quidam, intestinis semel bene purgatis, non opus esse eorum repetitione; quia nullus sumitur cibus. Nunc vero pro certo habetur, quod adeps in tela cellulosa contentus resorbetur, et

in vasa sanguinea redit, ut nutritioni inserviat, quo munere functus per intestina evacuatur. Inde oritur macies, quae plerosque morbos acutos diu moratos comitatur.

Dysenteria varie curata est a variis medicis. Curari potest venaesectione, purgatione, medicamentis e mercurio et opio compositis, vel purgantibus et sudorificis. Incipiunt quidam ab emetico et post horas paucas aliquod opii praeparatum ad irritationem sedendam, datur. Postero die sanguis detrahitur ad uncias circiter sedecim, et postea dosis adhibetur supertartratis potassae, quod putatur vim habere astringentem simul et purgantem, eo quod excessus contineat acidi. Post medicamenta purgantia ; laudantur astringentia et opiata. Novi praelectorem qui disserens de usu opii in hoc morbo, finem semper imposuit lectioni, dicendo " opiata sunt adhibenda," quem admodum Romanus orationem finire solebat. " Carthago est delenda."

Opiata saepe adhibentur cum magno beneficio sub forma enematis. Irritatio recti intoleranda eorum usum clare indicat. Si vena mature incidatur, et dein repetatur si opus sit, dolor abdominis mitigatur, purgantia et medicamenta ex hydrargyro magis efficacia fiunt, morbus redditur brevior, et chronicas affectiones supervenire impedit

hic modus curandi. Magna irritabilitas ventriculi indicium est certum aliqua e visceribus abdominalibus plena esse sanguine. In hoc statu plurimum levaminis affert venaesectio. Incipiente morbo excerceri debet sine mora vel dubitatione, sed magna cura observanda est, si morbus diutius perstiterit, et praecipue si symptomata typhoidea manifesta fiant. Quod si symptomata typhoidea urgeant in initio, tunc vires opprimuntur tantum, non vero deficiunt, ideoque venaesectione minime abstinendum est. Satis sanguinis prius detracto, calomelas cum opio adeo adhibitum ut constitutio ab eo afficiatur, optimum esse remedium repertum est, praemissa tamen evacuatione intestinorum. Plurimi sunt casus hujus morbi, in quibus maximum adesse periculum videbatur ; in iis tamen, postquam submurias hydrargyri usque ad ptyalismum datum est, fausta symptomata statim exorta sunt. Putant quidam hydrargyri efficaciam in hoc morbo pendere ab exudatione serosa quam excitat e tunica intestinorum interna, qua efficitur solutio inflammationis. Satis constat calomelas efficacissimum esse in subigenda inflammatione interna, ut observatur in curatione cynanches trachealis, et pneumoniae. Modus ejus operandi in dysenteria haud facile intellectu est. Forsitan ejus operatio pendet a principio quod dicitur contrariae irritationis, et effectum suum praestat, excitando in systemate actionem novam et diversam ab ea quae mor-

bum constituit. Habitus tamen corporis peculiaris impedit quo minus hydrargyrus in curatione hujus morbi sine discrimine adhibeatur. Idem morbus diversos homines afficiens diversam saepe curationem postulat. Stadia diversa ejusdem morbi, et mutationes, quae subito occurrunt in ejus decursu, monent ne medicamenta continuentur quae, stadio priore utilia esse videbantur. Quemdam egomet vidi hydrope laborantem orto e debilitate, qui sumpsit calomelanos tantum grana decem, in dosibus intra horas quadraginta octo divisis, in quo tamen ptyalismus tam vehemens exortus est, ut subito cum signis apoplexiae mortuus sit. Examinatione corporis habitâ, effusio serosa visa est sub tunica arachnoidea. Si infantes dysenteria invadat, calomelas medicamentum tutissimum erit, caetera omnia superat, et quanquam libere adhibitum, nullam tamen excitat irritationem, eò forsitan quod intestina infantum muco tenaci obducta sunt. Res bene nota est quocunque modo explicetur, infantes minus affici ab hydrargyro, quoad effectus ejus specificos, quam adultos, et tolerare posse majorem ejus quantitatem sine ullo periculo vel incommodo. Si adsint indicia unde judicari possit hepar affectum esse inflammatione subacuta, purgatio quotidiana calomelane et oleo ricini effecta, balneum tepidum, et anodyna, prout res postulat, adhibita, multum prodesse inveniuntur. Calomelas et oleum ricini sopiri irritationem

membranae mucosae et corrigere hepatis secretiones videntur; dum balneum tepidum aequalem distributionem efficit sanguinis, et praeterea sudorem eliciendo minuit quoque irritationem. Fieri autem potest, ut hydrargyrus hepar afficiat eodem modo quo glandulas salivarias, hoc est, ut ejus vasa stimulet plus quam functio secretionis requirat. Hydrargyrum in stadio ulcerationis datum injuriosum est, quod tamen stadium, febre hectica, saltem quae distingui possit, non semper comitatur. Medicamenta ex hydrargyro non solum inutilia sunt sed forsitan etiam nocent, si existat emaciatio, et si lingua rubra sit et incrustata. Prodest detractio sanguinis non solum initio morbi, sed etiam quum ulcerationem putetur exortam, sanguinis missio multum beneficii affere videtur, saltem pro tempore; et pauca memorantur exempla, in quibus beneficium fuit diuturnum, post vesicatoria, purgantia lenia, et anodyna adhibita. Oleum terebinthinatum cum oleo ricini mistum optimum est medicamentum in hoc morbo. Leniter purgat et haemorrhagiam sistere putatur. Usum terebinthinae mutuati sunt medici a puerperarum curatione. Membranam mucosam specialiter efficere videtur.

Si oriatur dysenteria in regionibus calidis, correctio secretionum et excretionum praecipue requiritur; hic enim hepar ab initio afficitur. Usus

Calomelanos et piluli hydrargyri cum purgantibus lenioribus in his casibus indicatur. Eadem curatio convenit iis qui usui liquorum inebriantium dediti sint. Si morbus sit diu moratus, et evacuatio pendere videatur a laxitate in vasis intestinorum extremis, convenit inter omnes, astringentia esse valde utilia, adhibitis subinde laxantibus. Pulvis radicis rhei satis accommodatus huic morbi stadio. Debilitas inducta a morbo diu morato curanda est medicamentis tonicis. Sulphas Quinae est optimum remedium hujus generis quod possidemus. In hoc stadio vim tonicam dare constitutioni oportet, quia morbi sequelae formidandae sunt, e. g. hydrops et in sensibus praecipue, marasmus. Simul cum tonicis et amaris dandum est igitur aliquid vini, quod, tamen, prout res postulat, regendum est. Quod attinet ad regimen, maxima cura habenda est ab iis qui a dysenteria convalescunt: calidis vestimentis induti esse debent, maximum enim est periculum, ne in eundem morbum recidant. Nil mirum, quod laesae functiones cutis toti corporis habitui noceant, si reputemus, in ea sitas esse extremitates nervorum sentientes. Exhalationes hujus organi suppressas sequitur febris, nisi augeatur secretio in aliquo alio, quod saepe fit in renibus, adeo ut defectus ejus in cute suppleatur. Vix satis curae generaliter cutis statui habetur, quod magis mirandum est, quum vel equos nostros male curatos putemus, nisi eorum pelles semper nites-

cant. Beneficium inde ortum manifestum est, cujus tamen rei observatio nobis prorsus inutilis esse videtur. Quoniam igitur notum est quantum valetudo corporis pendet a statu cutis, haud opus est quidquam dicere de necessitate functiones ejus promovendi, et praecipue si valetudo non sit bona. Satis sit, igitur, dicere calorem cutis praecipuam medici curam mereri, si enim aeger non indutus sit vestimentis solitis calidioribus, parum fructus capiet a quovis medicamento. Indusium igitur laneum cum fascia ejusdem materiei circa abdomen saepius plicatâ plurimum prodesse repertum est.

FINIS.